


NONA
Pro Festis & per Octavas
tàm
SACRATISSIMI CORPORIS
CHRISTI DOMINI
quàm
Gloriosissimæ Assumptionis in
Cælum Sacratissimæ Virginis
MARIÆ.
Cum Antiphonis, Psalmis,
ac Orationibus
Juxta Ritum
Sanctæ Romanæ Ecclesiæ
ORDINATA
Anno Domini 1760.

**************+**************

CRACOVIÆ
Typis Michàéli Dyaszewski, S:
Reg: Majest: Typog:



REIMPRIMATUR

M. STANISLAUS MAMCZYNSKI U. J. Doctor & Pfr. Cañc9 Cathlis Crac. Univ. Crac. Procancellari9 & RECTOR, Judex Surrogatus.

Datt: Crac: in Collegio Regio Juridico Die 5. Augusti Anno 1760.



·❧§)(✠)(§☙·

PSALMI
AD NONAM

Pater noster & Ave Maria &c.

℣ Deus in Adjutorium meum intende.
℟. Domine ad adjuvandum me festina.
℣. Gloria Patri & Filio & Spiritui Sancto,
℟. Sicut erat in principio, & nunc & semper & in sæcula sæculorum. Amen. Alleluia.

HIMNUS.

RErum DEUS tenax vigor,
Immotus in te permanens,
Lucis diurnæ tempora,
Successibus determinans,
Largire lumen vespere,
Quo vita nunquam decidat;
Sed præmium mortis sacræ
Perennis instet gloriá,
JESU Tibi sit gloria,
Qui natus es de Virgine,
Cum Patre & almo Spiritu,
In sempiterna sæcula Amen.

ANTYPHONA.

Vincenti dabo Manna absconditum, & novum Nomen, Alleluia.

PSALMUS

MIrabilia testimonia tua; ideo scrutáta est anima mea.

Declaratio sermonum tuorum illuminat: & intellectum dat parvulis,

Os meum aperui, & attraxi spiritum: quia mandáta tua desiderabam,

Aspice in me, miserere mei: secundum judicium diligentium nomen tuum.

Gressus meos dirige secundum eloquium tuum, & non dominetur mei omnis injustitia

Redime me à calumnijs hominum: ut custodiam mandáta tua.

Faciem tuam illumina super servum tuum, & doce me justificationes tuas,

Exitus aquarum deduxerunt oculi mei: quia non custodierunt legem tuam.

Justus es Domine: & rectum judicium tuum.

Mandasti justitiam, testimonia tua & veritatem tuam nimis,

Tabescere me fecit zelus meus, quia obliti sunt verba tua inimici mei.

Ignitum eloquium tuum vehementer: & servus tuus dilexit, illud.

Adolescentulus sum ego, & contemptus: justificationes tuas non sum oblitus.

Justitia tua, justitia in æternum: & lex tua veritas.

Tribula-

Tribulatio & anguſtia invenerunt me: mandata tua meditatio mea eſt.

Æquitas teſtimonia tua in æternum intellectum da mihi, & vivam.

Gloria Patri & Filio &c.

PSALMUS.

CLamavi in toto corde meo, exaudi me Domine; juſtificationes tuas requiram.

Clamavi ad te, ſalvum me fac, ut cuſtodiam mandata tua.

Præveni in maturitate, & clamavi quia in verba tua ſuperſperavi.

Prævenerunt oculi mei ad te diluculo ut meditarer eloquia tua.

Vocem meam audi ſecundum miſericordiam tuam Domine: & ſecundum judicium tuum vivifica me.

Appropinquaverunt perſequentes me iniquitati: a lege autem tua longe facti ſunt.

Propè es tu Domine; & omnes viæ tuæ veritas.

Initio cognovi de teſtimonijs tuis: quia in æternum fundaſti ea.

Vide humilitatem meam, & eripe me quia legem tuam non ſum oblitus.

Judica judicium meum, & redime me propter eloquium tuum vivifica me.

Longè à peccatoribus ſalus: quia juſtificationes tuas non exquiſierunt.

Misericordiæ tuæ multæ Domine: secundum judicium tuum vivifica me

Multi qui persequuntur me, & tribulant me: à testimonijs tuis non declinavi

Vidi prævaricantes, & tabescebam: quia eloquia tua non custodierunt.

Vide quoniám mandata tua dilexi Domine in misericordia tua vivifica me.

Principium verborum tuorum veritas: in æternum omniá judicia justitiæ tuæ.

Gloria Patri & Filio, &c.

PSALMUS

PRincipes persecuti sunt me gratis: & à verbis tuis formidavit cor meum.

Lætabor ego super eloquia tua: sicut qui in venit spolia multa.

Iniquitatem odio habui, & abominatus sum legem autem tuam dilexi.

Septies in die laudem dixi tibi, super judicia justitiæ tuæ.

Pax multa diligentibus legem tuam: & non est illis scandalum.

Expectabam salutare tuum Domine: & mandata tua dilexi.

Custodivit anima mea testimonia tua & dilexit ea vehementer.

Servavi mandata tua. & testimonia tua: quia omnes viæ meæ in conspectu tuo.

Appro-

Appropinquet deprecatio mea in conspe-ctu tuo Domine: juxtá eloquium tuum da mihi intellectum.

Intret postulatio mea in conspectu tuo: secundum eloquium tuum eripe me.

Eructábunt labia mea hymnum: cùm do-cueris me justificationes tuas.

Pronuntiabit lingva mea eloqvium tuum: quia omnia mandata tua æquitas.

Fiat manus tua, ut salvet me: quoniam, mandata tua elegi.

Concupivi salutare tuum Domine: & lex tua meditatio mea est.

Vivet anima mea, & laudabit te: & ju-dicia tua adjuvabunt me.

Erravi sicut ovis quæ periit: quære ser-vum tuum, quia mandata tua non sum oblitus.

Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto

Sicut erat in principio, & nunc & semper. & in sæcula sæculorum. Amen.

ANTIPHONA.

Vincenti dabo Manna abscunditum, & novum nomen, Alleluia.

CAPITVLVM. 1. Cor: 11.

Quicunque manducaverit Panem hunc, vel biberit Calicem Domini indignè, reus erit Corporis & Sangvinis Domini. ℟. Deo gratias.

 ℣. Edu-

℣. Educas Panem de terra, Alleluia, Alleluia
℟. Et Vinum lætificet cor hominis, Alleluia. Alleluia.
℣. Gloria Patri, &c. ℟. Educas Panem, &c.
℣. Posuit fines tuos Pacem, Alleluia.
E. adipe frumenti satiat te Alleluia.

ORACIO.

DEUS, qui nobis sub Sacramento mirabil Passionis tuæ memoriã reliquisti; tribue quæsumus, ita nos Corporis & Sanguinis tui sacrá mysteria venerari, ut Redemptionis tuæ fructum in nobis jugiter sentiamus. Qui vivis & regans in sæcula sæculorum Amen

℣. Dominus vobiscum ℟. Et cũ spiritu tuo
℣. Benedicamus Domino, ℟. DEO Gratias.
℣. Fidelium animæ per misericordim Dei requiescant in páce. ℟. Amen.

Dominica verò infra Octavam Corporis Christi.

CAPITULUM. 1- *Joan:* 3.d:

FIlioli mei non diligamus verbo, neque lingua, sed opere & veritate.
℟. Deo gratias.
℣. Educas Panẽ de terra, &c. *cum aliis ut supra*

ORATIO.

SAncti Nominis tui Domine; timorem pariter & amorẽ fac nos habere perpetuum: quia nunquã tuâ gubernatione destituis, quos in soli-

liditate tuæ dilectioni institutis. Per Dominũ nostrum, &c.

℣. Dominus vobiscũ, &c. *cũ aliis ut supra.*

ANTIPHONA.

SAlve Reginá, Mater misericordiæ, vitá dulcedo, & spes nostra Salve. Ad te clamamus exules filij Evæ. Ad te suspiramus gemẽtes & flentes in hac lacrimarũ valle. Eja ergo Advocatá nostra, illos tuos misericordes oculos ad nos converte, & JESUM, benedictũ fructũ ventris tui, nobis post hoc exiliũ ostende. O clemens, o pia, o dulcis Virgo MARIA.

℣. Ora pronobis Sáncta Dei Genitrix.

℟. Ut digni efficiamur promissionib9 Christi

ORATIO.

OMnipotẽns sempiterne DEUS, qui gloriosæ virgini Matris MARIÆ corpus & animám ut dignum Filii tui habitaculum effici mereretur, Spiritu Sancto cooperante præparastis da ut cujus commemoratione lætamur, ejus pia intercessione ab instantibus malis, & á morte perpetua liberemur, Per eundem Christum Dominum nostrum Amen.

℣. Divinũ auxiliũ maneat semper nobiscũ.

℟. Amen.

HY-

HYMNUS
S. THOMÆ Aquinatis.

TAntum ergo Sacramentum,
Veneremur cernui:
Et antiqvum documentum,
Novo cedat ritui,
Prestet fides supplementum,
Sensuum defectui.
Genitori, Genitoque,
Láus & Jubilatio,
Salus, honor, virtus quoque,
Sit & benedictio:
Procedenti ab utroque,
Compar sit laudatio. Amen.

NONA
Pro Festo
V. MARIÆ
Iuxta Ritum
S. Romanæ Ecclesiæ
PSALMI
AD NONAM

Pater noster, &c. Ave Maria, &c.

℣. Deus in adjutorium meum intende.
℟. Domine ad adjuvandum me festina.
℣. Gloria Patri & Filio & Spiritui Sancto.
℟. Sicut

℟. Sicut erat in principio & nunc & semper & in sæcula sæculorum Amen Aliel.

H Y M N U S

Rerum DEUS &c. *ut in Festo SSmi Corp. Christi.*

A N T I P H O N A.

Pulchra es & decora Filia Jerusalem Terribilis ut Castrorum acies ordinata.

P S A L M U S 118.

Mirabilia Testimonia Tua, &c. *ut supra.*

A N T I P H O N A,

Pulchra es & decorá, &c.

Capitolium.

In Plateis sicut cinamonum & bálsamum aromatizans odorem dedi quasi Myrrcha electa, dedi suavitatem odoris. ℟. Deo gratias.

℣. MARIA Virgo Assumpta est ad æthereum thalamum.

MARIA Virgo &c. *repetitur,*

℟. In quo Rex Regumstellato sedet solio.

℟. Ad æthereum thalamum.

℣. Gloria Patri & Filio & Sbiritui Sancto.

℟. MARIA Virgo Assumpta est ad æthereum thalamum.

℣. *Dignare me laudare Te Virgo Sacrata*

℟. *Da mihi virtutem contra hostes tuos.*

O R A T I O.

FAmulorum Tuorum quesumus Domine delictis ignosce, ut qui Tibi placere de

acti-

actibus nostris non valemus Genitricis Filii Tui Domini nostri JESU Christi intercessione salvemur, per eundem Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, &c.

DOMINICA.

Infra Octavam Assumptionis B. V. M.

Festum Incidens S. Hyacinthi Patroni R. Pol.

AD NONAM.

Vt supra. Hymnus idem.

ANTIPHONA.

Serve bone & Fidelis intra in gaudium Domini tui.

PSALMUS. 118.

Mirabilia Testimonia Tua, &c. *ut supra.*

ANTIPHONA.

Serve bone & fidelis intra in gaudium Domini Tui.

Capitulum.

℣. Justum deduxit Dominus per vias rectas & ostendit illi Regnum DEI & dedit illi scientiám Sanctorum, honestavit illum in laboribus & complevit labores illius. ℟. Deo gratias.

℣. Lex Dei ejus in corde ipsius,
Lex Dei &c, *repetitur.*

℟. Et non supplantabuntur gressus Ejus.
℟. In corde Ipsius.

℣ Gloria Patri & Filio & Spiritui Sancto

℟. Lex Dei ejus in corde Ipsius,

℣.

℣. *Iustum deduxit Dominus per vias rectas*
℟. *Et ostendit illi Regnum Dei.*

ORATIO.

DEus qui nos Beati Hyacinthi Confessoris Tui annua Solenitatis lætificas, concede propitius ut cujus Natálitia colimus etiam actiones imitemur. Per Dominum Nostrum Jesum Christum &c,

Tertia Die infra Octavám Assumpt: B.M.V.

Octava S. Laurentij.

AD NONAM.

Vt supra Hymnus idem.

ANTIPHONA.

Beatus Laurentius orabát dicens, gratias Tibi ago Domine, quia januas Tuas ingredi merui.

PSALMI.

Mirabilia Testimonia Tua. &c. *ut supra.*

ANTIPHONA

Beatus Laurentius. &c. *ut superius*

Capitulum

Potens est autem DEUS omnem gratiam abundare facere in vobis ut in omnibus semper omnem sufficientiam habentes abundetis in omne opus bonum sicut scriptum est. Dispersit dedit pauperibus, Justitia ejus manet in sæculum sæculi. ℟. DEO gratias.

℣. Magna est Gloria Ejus in salutari tuo.
Magna est gloria &c. *repetitur.*

℟.

Gloriam & magnum decorem imponens
℟. super eum. ℟. In salutari Tuo
℣. Gloria Pátri & Filio & Spiritui Sancto
℟. Magna est Gloria Ejus in salutari Tuo
℣. Iustus ut palma florebit.
℟. *Sicut Cedrus Libani Multiplicabitur.*

ORATIO.

EXcita Domine in Ecclesia Tua spiritum: cui Beatus Laurentius Levita servit, ut eodem nos repleti studeamus amare quod à- mauit, & opere exercere quod docuit. Per Do- minum nostrum &c. in unitate Ejusdem Spi- ritûs Sancti DEUS, &c.

Quarta Die infra Octavam Assumpt: B. V. MARIÆ

AD NONAM.

Omnia ut in ipso Die Festi Assumptionis B. V. M.

Quinta Die infra Octav. Assumpt: B. V. MARIÆ.

Omnia ut in ipso die Festi Assumpti B. V. M.

Sexta Die infra Oct: Assumpt: B, V. M:

Fe.

Festum incidens S. Bernardi Abbatis Cōfessoris.

AD NONAM.

Omnia ut in Die Festi S. Hyacinthi præter Orationem.

ORATIO.

INtercessio nos quæsumus Domine Beati Bernardi Abbatis commendet, ut quod nostris meritis non valemus. Ejus Patrocinio assequamur. Pe Dominum nostrum &c.

Septima Die infra Octav: Assumpt: B. V. MARIÆ.

Omnia ut in ipso die Festi Ejusdem B. M. V.

Octava Die Assumptionis B. V. MARIÆ.


Omnia ut in ipso Festo Ejusdem B. V. M.

Ad M. D. G. B. V. M. C. & V.






Depozyt w Bibliotece Jagiellońskiej
01680


quarundam